


quia quando committit Capellano suo vices absolvendi a peccatis, consequenter illi committit jurisdictionem absolvendi ab hac censura; nam supra generaliter ostensum est, omnem illum, qui habet potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, habere etiam ad absolvendum ab hac censura. Dices, quamvis per se et ab intrinseco necessarius non sit character sacerdotalis, ut aliquis possit absolvere a censura, nihilominus Ecclesiam noluisse hanc jurisdictionem parochi committere, ut per se ipsum illa utatur, nisi sit sacerdos. Verumtamen, licet Ecclesia hoc facere potuerit, sine fundamento dicitur id fecisse; nam quod in illo c. Nuper, proprium sacerdotem nominaverit, sufficiens fundamentum non est; sumpsit enim nomen ab eo, quod frequentius contingit; non tamen præscripsit, ut illa conditio sacerdotis necessaria esset ad talem actum, quod oportuisset explicite declarare, si id instituere voluisset, cum res nova esset, et valde specialis; sicut etiam ibidem nominavit Episcopum, quæ vox absolute sumpta in rigore significat jam consecratum, et tamen non propterea dicendum est consecrationem ad hunc actum requiri. Accedit tandem, quod parochus potest absolvere ab hac censura non tantum in confessione sacramentali, et simul absolvendo a peccatis, sed etiam extra sacramentum; nam jus absolute concedit illam potestatem parochi, et non coarctat usum ejus ad confessionis sacramentum; ergo sine causa exigeret sacerdotalem ordinem in parochi ad talem usum. Quocirca, licet concedamus hanc potestatem datam esse parochis in ordine ad absolutionem a peccatis ut ad finem, non tamen est ita concessa, ut usus ejus necessario

debeat esse conjunctus cum absolutione a peccatis, aut cum characterē sacerdotali. Quæ omnia constant a fortiori ex dictis disp. 7, sect. 2, de censuris in communi, ubi etiam ostendimus simplicem sacerdotem non habentem potestatem ad absolvendum a peccatis mortalibus, neque ab hac censura posse absolvere.

5. *De forma solvendi ab hac censura.* — Tandem de modo concedendi hujusmodi absolutionem nihil novi addendum occurrit iis, quæ de forma absolvendi a censura in communi diximus. Solum observari oportet, ut vel in verbis ipsis vel ex adjunctis sufficienter declaretur absolvi quempiam ab hac censura in particulari, et restitui ad communionem et participationem sacramentorum, quibus privatus erat. Solemnitates vero aliæ hic necessariæ non sunt, ut colligitur ex dict. c. Nuper, ubi dicitur, hujusmodi excommunicationem absolvi posse absque juratoria cautione. Et notavit Sylvester, verb. *Absolutio*, 3, num. 5; et ratio est, quia hæc censura in suo ordine levis censetur, et propter levem causam incurri solet; et ideo ejus absolutio facilis esse debuit, et pluribus cæremoniis, aut oneribus minime gravata. Et quia, prout est in usu, non fertur propter injurias, vel damna aliis facta, sed propter quamdam inobedientiam contra Ecclesiam in participatione cum excommunicato, ideo non præexigitur alia satisfactio, vel cautio, sed tantum propositum obediendi Ecclesiæ. Si vero acciderit hanc excommunicationem ferri ad resarciendum damnum alteri factum, tunc necessarium erit, eam satisfactionem, vel cautionem exigere, quam ratio justitiæ postulaverit; nihil enim peculiare circa hoc est jure positivo præscriptum.



B
S
V
C